

IO. GOTTL. HEINECCII, IC.
S. REG. MAL. PRVSS. CONSIL: INTIMI,
ET IVR. AC PHILOS. IN ILLUSTRI FRI-
DRIG. P. P. ORD.


HISTORIA IVRIS
CIVILIS ROMANI
GERMANICI,
CIVILIS ROMANI AC
GERMANIA
EX IPSIS FONTIBVS OSTENDITVR,
COMMODA AUDITORIBVS METHODO
ADORNATA,
PASSIM ILLUSTRATA.
Editio Auctior atque Nitidior.

HISTORIA IURIS CIVILIS ROMANI AC GERMANICI

Nachdruck der zweiten, überarbeiteten Auflage

Halle an der Saale 1740

mit einem Nachwort herausgegeben von
Hiram Kümper



L V G D V N I B A T A V O R
Apud IOH. & HERM. VE
M D C C X L

HISTORIA IURIS CIVILIS ROMANI AC GERMANICI

Johann Gottlieb Heineccius

**HISTORIA IURIS
CIVILIS ROMANI AC
GERMANICI**

Nachdruck der zweiten, überarbeiteten Auflage
Halle an der Saale 1740

mit einem Nachwort herausgegeben von
Hiram Kümper

Band 1: Römische

Verlag Traugott Bautz

**Bibliografische Information Der Deutschen
Bibliothek**

Die Deutsche Bibliothek verzeichnet diese Publikation in der Deutschen Nationalbibliografie; detaillierte bibliografische Daten sind im Internet über <http://dnb.ddb.de> abrufbar.

Verlag Traugott Bautz GmbH 99734 Nordhausen 2005
ISBN 3-88309-336-X

ILLVSTRISSIMO COMITI
DOM. HENRICO VI.

IVNIORIS STIRPIS COMITI

ET DOMINO RVTHENO,

*DOMINO PLAVIAE , GRAITZIAE,
CRANICHFELDAE, SCHLEIZAE
ET LOBENSTEINII:*

*POTENTISSIMI DANIAE ET NORVE-
GIAE REGIS CVBICVLARIO,*

*COMITI AC DOMINO CLEMENTISSIMO
S. P. D.*

IO. GOTTL. HEINECCIVS.



On credo, ILLVS-
TRISSIME S. R.
I. COMES, TE,
qua es magnanimita-
te, vel adspernaturum esse hunc

D E D I C A T I O.

libellum , vel hoc obseruantiae
gratique animi monimentum
indignum persona TVA exis-
timaturum. Alia enim est
indoles illustrissimae gentis
TVAE , quae iam a multis sae-
culis vniuersae Germaniae exi-
mia pietatis , virtutis , pruden-
tiaeque exempla praebuit , quam
vt TV , illo sanguine cretus ,
possit quidquam , quod ad or-
nandas litteras pertinere videa-
tur , a TE alienum putare.
Alia , multoque maior clemen-
tia TVA , quam vt me de lit-
teris aliquando bene mereri
cupientem , illius participem
esse nolis. Plures iam circum-
acti sunt anni , ex quo **TIBI**

D E D I C A T I O.

vna cum illustrissimo fratre,
& illustrissimo LINARIAE
Comite Halae studiis operam
nauanti , plenoque gradu ad
praeclaram , qua iam emines ,
doctrinam rerumque ciuilium
intelligentiam enitenti , ego
tum hospes innotescere , TVIS-
que humanissimis frui collo-
quiis coepi. Quamuis vero ab
eo tempore TE , & grauiori-
bus magni REGIS negotiis
admotum , & ipsi Germaniae
nostrae ereptum iam pridem
mei memoriam deposuisse cre-
diderim: aliud tamen & litte-
ris ad me humanissime scriptis ,
dum libello CELSISSIMO
DANICAE IVVENTV-

D E D I C A T I O.

TI S PRINCIPI consecra-to viam ad palatum Regium munire non dubitasti, re ip-sa testatus es, illumque clementissime exceptum esse, nunciasti. Quantopere litterae istae **TVAE** me, nescio quid metuentem, recrearint, quantumque ex ista humanitate **TVA** voluptatem ceperim, hic ipse libellus, qui iam multo, quam antea, auctior nitidiorque praelo exit, pro me testimonium perhibeto. Eum enim **TIBI, COMES S. R. I.** **ILLVSTRISSIME, TVO** que Nomini ex veteri formula **DO,** **DICO, DEDICO,** vt si qua his litterulis perpetuitas spe-

D E D I C A T I O.

rari possit , perpetuum aliquod
exstet venerationis meae gra-
tique animi monimentum.
Suscipe itaque explicata fronte
litterarium hoc munusculum ,
quumque aliud a mei ordinis
hominibus proficisci nequeat ,
persuade TIBI , quaeso , TIBI
me simul me ipsum totum
consecrare , nullum abire pas-
surum diem , quin vota cum
pro TE , tum pro vniuersa
gente TVA illustrissima , con-
cipiat , quam vt DEVS op-
timus maximus ad illum usque
decretorium diem , qui hoc
hauriet aeuum , saluam floren-
tissimamque Germaniae nostrae
seruare velit , flagrantissimis

D E D I C A T I O.

precibus , quoad viuam , ex-
optabo. VALE, COMES S.
R. I. ILLVSTRISSIME, &
res TVAS feliciter gere. Ha-
lae ipsis Id. Martii anni Diony-
fici MDCCXXX.

LECTORI BENEVOLO

S. P.

Ouae mihi hunc adornandi libellum octauo abbinc anno fuerit occasio, AMICE LECTOR, quamque paene praecipiti festinatione ille a me tunc in chartam coniectus sit, ex ea, quam primae editioni praemisi, præfatione, satis, ut opinor, perspexeris. Non potui ergo non tum vere ri, ne ea scriptione satisfecisse videar quam paucissimis, iisque saltim, quibus nihil, nisi quod eximia quadam cura scriptum perpolitumque sit, placere solet, perfectius quid atque elegantius sint a me desideraturi. Quum enim ea sim temitate ingenii, ut & si adnitar, omnesque animi neruos intendam, vix quidquam, quod oculis tuis dignum videatur, proferat: quanto minus mihi sperare licuit, subitaneum

P R A E F A T I O.

*hoc & vix satis praemeditatum opusculum ulli viro docto, maxime in tam
vbere, quem saeculum nostrum vidit, talium librorum prouentu esse
placitum? Enim uero multo aliter,
quam metueram, res accidit. Tantum enim abest, ut Hecyrae Terentiae fato explosus sit hic libellus,
ut tametsi auditorum tantum usibus
initio destinatus tamen & extra aca-
demiae nostrae pomeria inuenierit lec-
tores, & distractis paene diuenditis-
que exemplaribus omnibus, noua ea-
que nitidior editio iam pridem flagi-
tari coepit. Cur ea non prius
prodierit, illi norunt, quibus bibliopolarum res paullo sunt perspectiores.
Demum tamen moras omnes, egre-
gii publici studio ruperunt viri inte-
gerrimi IO. & HERM. VERBEE-
KII, qui alieni ab execrabilis illo
libellos alienos furtim recudendi con-
filio, cum priore bibliopala ita com-*

P R A E F A T I O.

*posuerunt rationes, vt ei iure recu-
dendi banc iuris historiam vltro ce-
dere non dubitarit. Quum ergo hi
operis redemptores nullis sibi parcen-
dum ducerent sumtibus, vt & splen-
didissimis typis chartaque prodiret in
lucem: debere ego hoc mibi visus sum
lectoribus aequis, vt, qui antea im-
perfectum illud opusculum tam aequo
animo tulerunt, ii iam aliquid si non
perfectius, at accuratius tamen hma-
tiusque a me accipient. Itaque tot
licet occupationibus distractus, infir-
maque valetudine prope oppressus, me
recensendo huic libello accingo, mul-
ta, quae deesse videbantur, suppleo,
quaedam nouis veterum testimoniis
firmo, quaedam, vt sit, emendo
ac muto, idque tanto studio, vt si
quis opus hoc nouum esse crediderit,
eum ego non aberraturum a vero ef-
se existimem. Fecerimne operaे pre-
tium, tuum, BENEVOLE LEC-*

P R A E F A T I O.

TOR, erit iudicium. Me certe noua haec opera nauata iurisprudentiae maximopere delectauit, vt affirmare possim, illam mibi & curas, quibus tum excruciaabar plerasque, absterrisse, & ad amissas difficulti morbo vires recuperandas firmandaque mirifice profuisse. Ceterum ne sic quidem dubito, quin alii eamdem rem acturo permagnum reliquerim spicilegium. Experiundo enim didicisse mibi videor, nullam esse difficultorem veteris historiae partem, quaeque pluribus egeat, paucioribusque instructa sit subsidiis, quam historiam iurisprudentiae. Sive enim veterum rerum publicarum, sive ecclesiae Christianae res & fata quis scribere constituerit, tot exstant incorrupta veteris aeni monumenta, vt se copia fere inopem reddi animaduertat. At quis, quaeſo, veterum vel ad historiam iuris scribendam, vel

P R A E F A T I O.

vitas iureconsultorum enarrandas ad-
pulit animum? Quotusquisque tot
doctorum hominum, qui reipublicae
Romanae annales accuratissima in-
dustria condiderunt, ea quae ad ar-
tem nostram pertinent, non obiter
attigit? Solus fere DIONYSIUS
HALICARNASSENSIS ea, quae
de iure & legibus, earumque inter-
pretatione obseruatu digniora esse a-
nimaduertebat, diligentius videtur
perseguitus. Sed inuiderunt nobis
fata maximam operis incomparabilis
partem, ut, quae ab anno ab V.C.
CCCXII. acciderunt, hodie fere scia-
mus iuxta cum ignarissimis. Luius
enim, & si qui alii res Romanas
tradiderunt, res potius bello praecla-
re gestas, quam quae circa leges
euenerint, memoriae prodiderunt,
&, si quid de his quoque memo-
rant, illas, quae ad rem publicam
pertinere viderentur, quibusque tam-

P R A E F A T I O.

quam seditionum flagellis populum agitabant Tribuni plebis, paulo diligentius descripsérunt, plerisque, quae ad ius priuatum amplificandum per latae fuerant, vel praetermissis, vel leui saltim brachio tactis. Plura eius generis, eaque praeclara procul dubio in tot libris suis obseruauerant. veteres iureconsulti, qui, si exstant integri, non magnopere fortassis laboraremus. Sed hos quoque siue Tribonianī industria, siue illaetabili quodam artis nostrae fato amissimus, ut pro instructissimo adparatu & ferculis delicatiōribus, hodie reliquiis duntaxat, tamquam parasti, perfrauamur. Solum POMPONII fragmentum nobis seruauit Tribonianus, si seruatum dici potest, quod nobis ubique, ut videtur luxatum, mutilatumque superest. Saltim plura ac pleniora non scripsisse iureconsultum, nemo sibi temere persuaserit, nisi simul totum encyclidii libelum

P R A E F A T I O.

duabus tribusue plagulis constitisse, velit existimare. Ita fere omnia intercederunt, ex quibus veteres, quorum aetas in beatiora saecula inciderat, juris originem, progressum, fata, legum autores, eorumque finem ac consilia, edictorum, senatusque consularum aetatem, iurisconsultorum vitam, ac quae eorum in jurisprudentiam extiterunt, merita, discere potuerunt.

Jacent hodie tot excellentissimi ingenii viri paene omnes illacrymabiles & obtuti multa nocte, quia carent vate sacro, &, si dicendum, quod res est, non solum iuris historiam, sed eius paucissima squalidaque rudera, post tot eruditissimorum virorum lucubrationes, habemus. Sed qualecumque istud sit, quod in communi tot veterum monimentorum naufragij interitum evasit, aequi profecto bonique consulendum, & quidquid vel in veterum annalibus, vel in ipsis libris nostris, de iu-

P R A E F A T I O.

*ad locupletandam pulcherrimam hanc
historiae partem vterentur. Jam in-
numera viderat CONRINGIVS;
(quid enim scire quisquam vellet,
quod docere non posset ingenium is-
tud sine exemplo maximum?) at
sexcentis qui post eum e situ & pulue-
re in lucem protracti sunt, rerum
Germanicarum scriptores, innumerar-
que, quae postea prodierunt diploma-
ta, ille non viderat. Ex quibus sa-
ne permulta suppleri posse a viris
doctis, quae in opere illo CON-
RINGIANO desiderantur, facile
intelligitur. Ipse sane, cui per alia
negotia non tantum fuit otii, vt
irem per omnes Germanorum anna-
les, omnesque veteres chartas &
diplomata perlustrarem, plura tamen
buius industriae specimina in breui
hoc opusculo mibi videor dedisse,
neque dubito, quin multo plures eius-
dem generis obseruationes colligi pos-*

P R A E F A T I O.

*sint ab iis, qui vel maiore instruendi
adparatu, vel otio magis abundan-
tes, vel feliciore ingenio praediti stu-
dium, industriamque ad illustrandam
patrii iuris historiam conferent. Qui-
bus si mea mea bac scriptione veluti
igniculos quosdam iniecisse animad-
uertero; nae ego mibi operaे fecisse
pretium uberrimumque lucubrationum
fructum cepisse videbor. Interea,
dum alii meliora dederint, vtere
meis, tuamque benevolentiam, quae
mihi & senescenti paullatim ad quid-
libet in reipublicae litterariae com-
modum conandum incitamento erit,
mibi integrum, quaeso, conserua,
atque illibatam Vale, LECTOR
BENEVOLE. Halae prid. Id.
Mart. MDCCXXX.*

P R A E F A T I O

Primae editioni praemissa.

 Vod plerosque facere animaduertimus , qui praefationes scribunt, vt vel rerum, quas explicant, vtilitatem ac praestantiam verbis ornatissimis commendent , vel vino alioquin minus vendibili veluti hederam suspendant: eorum ego hic nihil facere constitui. Quemadmodum enim incredibilem HISTORIAE IVRIS vtilitatem fatis perspiciunt harum rerum intelligen tes, eamque reipsa experiuntur quotidie : ita apud imperitos & veteris barbariei statores frustra verba facerem, neque vlli mortalium tantum est flu men ingenii , tanta scribendi dicendique vis ac copia , vt his hominibus , vel ad ipsum elegantiorum litterarum nomen cohorrescentibus , non dicam persuadere , sed verosimile tantum facere possit , earum vllam in iurisprudentia vtilitatem esse. Et sane qui fieri posset , vt illi harum deliciarum suavitatem salubritatemque percipient, qui quotidie carduelibus sentibusque

P R A E F A T I O.

vescuntur , asperumque illum victum calceatis istis dentibus suis facilime subigunt? Quare quum & rem in se commendatissimam verbis extollere , superuacuum ; & surdis narrare fabulam , molestissimum videatur : de vtilitate praefantiaque huius studii , vt praediximus , iam non differemus , sed insituti tantum nostri rationem reddemus iis , quibus nos , nostraque studia , vigilias ac labores probari quam maxime cupimus.

Placuit nuper REGI nostro longe clementissimo , vt , relictâ illustri Viadrina , in Fridricianam hanc celeberrimam me conferrem , docendique munus , quo iam olim ibi non sine fructu studiosae iuuentutis perfunctus fueram , postliminio obirem. Parui ego , prout decet , OPTIMI PRINCIPIS voluntati , & quamuis nouam illam migrationem , declivi iam aetate , quantum fieri potuit , deprecarer , eiusque taedio conditiones splendidissimas , a REGIBVS ac REBVSPVBLICIS potentissimis mihi propositas , aliquoties repudiassem , Halam tamen familiam ac supellecilem transtuli , ope-